

F.K. 61

Casp. Soescher.



**PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
MARTINVS HASSEN
MORALIVM AC CIVILIVM
PROF. PVBLICVS**

CIVIBVS ACADEMICIS

S P D

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



Quanta sanctitate uixit, tanta felicitate decepit, CASPARVS LOESCHERVS, ultimae, seroque languescentis, spatio senectutis defunctus, ac lenissimo genere mortis, inter oscula complexusque carissimorum sopitus pignorum, cum duos et octoginta excessisset annos, cum sanctissimas, amplissimasque dignitates sustinuisse, cum doctrina, prudentia, eloquentia, auctoritate, floruisse, animos religione, literis ingenia salutaribus, implesse, orbem scriptis illustrasset, quinque et quadraginta annos, sine querimonia, maritus, consecisset, octo filios, quatuorque filias, suscepisset, ex iis unam modo amisisset filiam, decem certe liberos florentes uidisset et honoratos, ac, mira fortunae indulgentia, quinquaginta, amplius, nepotes neptesque sibi receperisset. Eae uero res declarant, quam, et excessu somni simili, et ante ipsum quoque obitum, reclamante nequicquam Solone, Croeso e rogo frustra obnunciante, beatus fuerit ille, praeferimus, cum ipsam bene beateque uiuendi rationem, non de triuis circulisque sumtam, sed acceptam diuinitus, nihilo praeciperet magis, quam factis exprimeret, eamque fecutus et arte complexus, omnes ueterum sapientes antecederet, quandamque nobis Cyprianum, non mente minus ad sanctimoniam composita, quam ingenio disciplinaque, reddere, et utraque sibi ratione fortunam non mediocriter fingere, videretur. Antistes enim Carthaginensis, quam graibus, tam placidis, fuit moribus, quam futuri prouidus, tam ad subeundos quoque casus semper paratus, quam fragilitatis humanae memor, tam praesentis fiducia Numinis erectus, ut, nec, exultantis impetu libidinis, cum plerisque mortalium, in perturbations incideret, neque subitis exterreretur improvisisque rebus, et, quae consilio propulsare non posset, ea religione animi, religiosoque obsequii constantia, superaret. Ita, quam placide scripsit, tam uitam tranquille traduxit, ac, trepidantibus aliis, sibi constitut, metuque uel tyrannorum, uel anni, pestilentia et fame facui, perculfos, tum uoce, tum stilo, confirmauit, ubi cedendum fuit tempori, cessit, nunquam tamen animo cecidit, eundemque, quem aluit ipse, scriptis epistolis, iniecit suis, ad ipsam denique mortem raptus, nihil grauius, quam superioris anni uiso praevensisset, evenire sibi, iudicauit. Deoque confisus, uitam, qua mentis egerat tranquillitate, finiuit. Sic instruebat se tractabatque LOESCHERVS, indignum grauitate sua, arbitratus, uel efferti fortuna uel abiici, illud autem contendere solitus atque eniti, ut se nosceret, ut animum contineret, ut euentura prospiceret, nec tamen suis ita fidens uiribus, ut, quamque prudentia fortunam corrigi posse, crederet potius, quam, multa esse moderate ferenda, multa Deo relinquenda, huic sece qui tradat, hunc deum fore magnum, et, in quolibet rerum discrimine, periculi expertem.

Qua

Qua quidem uirtute munitus, et sibi consuluit et aliis, et, quamuis a Decianis Valerianisque temporibus abesset, tamen nec ea, neque ulla calamitatum genera, reformidauit, ac, quid recte fieret et constanter, exemplo, dictisque ac scriptis, docuit, eumque tulit suae fructum consuetudinis, ut uitam, cum dignitate actam, consentaneus exciperet finis. Illum, de quo mentionem fecimus, Carthaginis praesulem ingenio fuisse, accepimus, facili, copioso, suavi, et, quae sermonis maxima est uirtus, aperto, ut existimari non potuerit, ornatior ne in eloquendo, an facilior in explicando, an ualentior in persuadendo, fuerit uisus. Hoc illud est idem, quod admirati sumus in Casparo, quem cognouimus excogitando promptum, explanando uberem, rerum grauitatem differendi suauitate condicentem, in primisque, ut insitiatur nemo, abditissimas quasque res exponendo perspicuum, ut difficile fuerit iudicare, utrum ne plus luminis, an plus roboris, an plus ornatus, quem sapienter utrius posthabuit rei, ad dicendum scribendum ue, afferret. Qua in re praeclaram iuuit indolem disciplinae cultus, quem ille, prius Verdaui ad Plissam, ubi anno saeculi proximi 10 c XXXVI, VIII Idus Maias, parentibus honestissimis, Martino Loelchero, et Regina Morlina, progenitus est, a Volfartis Vlmeniisque, post, in Numburgensi ludo, a Coleris, Hendeliis, Bertramis, eruditus, cepit Lipsiae, quo, anno eiusdem saeculi sexto et quinquagesimo, profectus, in variis liberalis doctrinæ partibus, praeter ceteros, Rappoltos, Thomasi, Scherzeros, Francostenios, industriae duces, sanctiores autem magistros, Langios, Hulsemannos, Carpzouios, Geieros, Cromaieros, egregia utique scientia viros, habuit, suaque conciliatos obseruantia, et docilitatis exemplo captos, arctissime sibi coniunxit. Hic annos duodecim commoratus, singularem cunctis diligentiam doctrinamque probauit, uel tradendis linguarum, historiae, philosophiae, ipsis etiam theologiae, studiis, uel habendis crebro, in eruditorum congressibus, exquisitiorum disputationibus argumentorum, uel ipsis denique libris edendis, quibus ueritatis diuinae dignitas a fallaciis hominum corruptelisque vindicaretur. Tanti splendor ingenii latius enuit, Loescherumque, Sondershufam, anno illius, quod commemorauimus, saeculi duodeuagiesimo, accitum, praecipuo illius loci sacerdotio auxit, unde uirtutis laus, longius fusa, anno sexto et septuagesimo, eum commendauit Erfurto, deinceps, in singulos adacta dies, post triennium, Cygnauiae, postremo, in suum elata fastigium, anno septimo et octogesimo, Vitembergæ, ubi, magnis, ille, pluribusque rebus ornatus, quanta uirtutum opinionem omnium in sece ora oculosque conuerterit, siue pro sacris dicere rostris, siue disputationi praeesset, siue in senatu censeret Academico, siue sacras disceptaret caussas, siue prodiret in publi-

LITERATUR DER DEUTSCHEN



publicum, nostrum ignorat nemo. Adeo idem, quanto longius aetate
procescit, tanto cumulatores meritorum consecutus est fructus, quo
referimus potissimum res matrimonii secundissimas, tantas omnino,
ut stirpi foecundae uirtus si detuisset, cuncta sollicitudinum futura fuis-
sent dolorisque plena. At commodum accidit, ut Anna Sophia Rothia,
spectatae probitatis femina, anno 1590 LXX, altero, quam ducta esset,
mense, extincta, Cleophe Salome, magnum Sittigiae gentis ornamen-
tum, biennio post, in illius manum conueniret, qua cum diu, et con-
iunctissime, uitam produxit, cuius cura, suae fideliter iuncta, fouit
stirpem, educauit progeniem, ex ea suscepit, tam profecto, sum-
mis in utroque sexu laudibus, eximiam, tam sacris honoribus,
et ciuilibus aulicisque, atque Academicis, Dresenae, Vinariae,
Rochlicii, Lubenae, apud nos etiam, claram, tam omni decorum ge-
nere abundantem, externarumque admiratione gentium celebratam,
ut eam laudare, pro dignitate, qui uelit, is quidem illius praestan-
tiam minus intelligere videatur. Si tamen, quanta communis est neces-
situdo sanguinis, tanta uis eius credi solet, equidem huic, qui maxime
fratres ex fratre spectare studeat, unum nominabo, natu maximum,
VALENTINVM ERNESTVM LOESCHERVM, uirum diuini
spiritus, cunctisque titulorum elogiis superiorem, ut cognoscatur
pariter, si Metellum, a filiis quatuor honoratis elatum, felicem pre-
dicet antiquitas, illum certe, filiorum, omnino plurium, omnino
praestantium, parentem, et horum, et filiarum praeterea nobilissi-
marum, generorumque, tam insignium, tot etiam nepotum nepti-
umque, optimae praesertim spei, comitatu, non immerito ferri bea-
tum. Quae quidem cuncta tametsi luculenter ostendunt, quanta
Casparum sit fortuna ad supremum profecta diem, et si, quanto
maior constantiorque felicitas illuni exceperit de uita migrantem,
atque ad ipsum sempiternae aspectum gloriae adduxerit, una constat,
tamen uiri, de muneribus tot tantisque, tot annos, praeclare
meriti, decepsus desiderium nobis, uix leniendum, communet, ut,
non iniuria, V Idus Quintiles, quo huic Academiae, coetuique
puriori, eruptus est doctor facultate tam commemorabilis, et
aetatis meritorumque auctoritate praecipuus, habeamus luctuo-
sum, et successorem, illius quam simillimum, optemus. Interim cum
celebritas exequiarum sit instituenda, date, CIVES, hoc immor-
talibus uiri sanctissimi promeritis, date amplissimo, celeberrimo-
que, nomini **LOESCHERIANO**, et, quod huic affinitate conian-
ctum est, **SCHROEERIANO**, ut, a meridie, ab hora prima, fu-
nus in Aedem Marianam, compositis ad luctum animis, frequen-
tissimi ducatis. P.P. XIX Calendas Septembres, anno gratiac,
diuinitus reconciliatae, 1590 CC XVIII

VITEMBERGAE, LITERIS GERDESIANIS

Z
4310

F.K. 61 *Cap. Soescher.*

PRORECTOR

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

MARTINVS HASSEN
MORALIVM AC CIVILIVM
PROF. PVBLICVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S P D

